

# **Conversio Magni Avgvstini, Postea Hypponensis Antistitis Maximi**

**Werner, Ignaz**

**Lincii, M DC XCII.**

§. I. Affectus primus Pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70025](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70025)

## §. I.

## Affectus primus Pœnitentiae.

**E**rgo ego nō timui tantum violare Parentē !  
 Sæva vel in suūmum vulnera ferre Deum !  
 Ergo ego Divinos potui lacerare lacertos !  
 Nec Dominum plagæ dedecuere meæ !  
 Heu ! ego peccavi Divum fundendo cruorem ,  
     Heu ! ego peccatis vulnera tanta dedi.  
 Cur mihi non demens ! cur non mihi barbara  
     dixit ;  
 ( Ipsa nihil ) vultu lingua retenta gravi est :  
 Sed taciti stimulare tamen verecundia vultus  
     Egit me lachrymis, ore silente , reum.  
 Ah priùs in caput hoc impacta Sarissa fuisset !  
     Utilius poteram parte carere mei.  
 In mea vesanas habui dispendia vires ,  
     Et potui pœnam fortis inire meam !  
 An, si læsissem minimum de plebe quiritem ,  
     Plesterer ! in Dominum jus mihi majus erit ?  
 Iscarioth scelerū monumenta nefanda reliquit ;  
     Ille Deum primus prodidit, alter ego.  
 Et minùs ille nocens, per tot mea crimina mille  
     Christum damnavi mortibus, ille semel.

Ah

Nec puduit sacros vitijs lacerare capillos,  
 Nec puduit Dominas ungue notare genas  
 At me nec puduit toties crucifigere Christum  
 Nec puduit Divum convitiare Caput!  
 Ille semel tantum judææ prodidit iræ.  
 Et puduit proprias cæde notâsse manus;  
 Ah melius cæci damniatus rupibus antri  
 Finissim proprios ad mala tanta dies.  
 Threjicio melius cecidisse saucius ictu,  
 Cessissimque atræ debita præda stygi.  
 Sed furor abripuit, rapuit malè suada voluptas  
 Cæcaque me prædam fecerat ira suam.  
 Ut rapit in præceps Dominum, spumantia frustis  
 Fræna retentantem, durior oris equus:  
 Ut subitus prope jam pressâ tellure carinam  
 Tangentem portus ventus in alta rapit:  
 Sic me sæpè rapit malè sani turbinis aura,  
 Et redeo ad celeres, criminâ nota, vias.  
 Nunc ego me tandem cæpi sentire nocentem  
 Ingenio perij, qui miser ipse meo.  
 Jam pudet! ite procul rabies, & acerba voluptas  
 Numina cultori perniciosa suo.  
 Devictus notam repeatat gladiator arenam;  
 Inque feras redeat naufragia puppis aquas:  
 Non ego delicias celeres, nec acerba resumam  
 Castra voluptatis; vulnera sœva Dei.

Tu mihi, Christe, animum posthac revocabis ab  
 Advolviq[ue] tuo me patiere pedi. (illis;  
 Nec formidantē lachrymis, flectuq[ue]; madentem  
 Amplius à genibus Christe repelle tuis.  
 Ite oculi in lachrymas, lachrymas ne despice  
 Christe!

Qui mihi in auxiliū tendis utramq[ue]; manum,  
 Vulnera pectus hiat, lacerū est sine corpore cor-  
 Hanc inflixerunt crima nostra necem. (pus:  
 Sic dum l[ea]sus obis, tua sit suprema voluntas,  
 Hæres poenarum sim quoque Christe tuus.  
 Tendo manus, Christe hæredē me scribe dolorū,  
 In pretio mihi erunt hæc tua, Christe mala.  
 Virgarum fasces, infamis latro, Senatus,  
 Quæque per exanimum purpura corpus abit.  
 Crux solium, diadema rubi, spectabile Regni  
 Indicium clavi, regia montis apex.  
 Hæc quoque diligimus; liceat succedere spinis;  
 His eget in stimulos desidiosa caro.  
 Diligimus clavos; liceat succedere clavis,  
 In cruce quæis tecum nobile figar onus.  
 Annuis in pectus reclini vertice, Christe,  
 Protensis palmis annuis; & moreris.  
 Legatis succedo bonis: crux aurea salve!  
 In tua crux hæres brachia scriptus eo.  
 Te super occubuit diffusis vita lacertis;  
 Te super inserto corde quietus agam.

## §. II.